

Subsidia centum mille scutorum auri as. signat.

unum subsidium centum mil. scutorum auri super omnibus, & singulis fructibus, redditibus, & proventibus secundum verum annum valorem presentis anni quarumcumq; Cathedralium, etiam Metropolitanarum, & Patriarchalium, atque aliarum. Ecclesiarum, ac Monasteriorum, Prioratum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum Sæcularium quorumcumque, ac Hospitalium, & quorumvis Ordinum, & Militiarum, non tamen Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, cujus Fratres pro munienda, & defendenda adversus improbos eorumdem Turcarum conatus Insula Meleventina, gravissimos sumptus subire, & magnum æs alienum contrahere oportuit, Regularium cum cura, & sine cura in dicto Dominio existentium a Ven. Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, & dilectis filiis Electis, Administratoribus, Commendatariis, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Prælatibus, Capitulis, Conventibus, cæterisque personis Ecclesiasticis Sæcularibus, & Regularibus quibuscumque tam non exemptis, quam quomodolibet exemptis, & quantumvis privilegiatis, etiam S. R. E. Cardinalibus, necnon S. Benedicti, S. Augustini, Cisterciensium, Cluniacensium, Premonstratensium, Carthusiensium, Camaldulensium, Montis Oliveti, Vallis umbrosæ, Monachorum Eremitarum S. Hieronymi, & quorumvis aliorum Ordinum, necnon Cassinensium, alias S. Justine, S. Salvatoris, & Lateranensium, aliarumque Congregationum tam virorum, quam mulierum etiam mendicantium ex privilegio, & alias bona immobilia, seu certos redditus quoquo modo Ecclesiasticos habentium in Dominio prædicto, Ecclesias, Monasteria, & alia Beneficia Ecclesiastica obtinentes, & fructus Ecclesiarum, Monasteriorum, & Beneficiorum hujusmodi, necnon pensiones annuas quantumcumque exemptas, & sub quibusvis obligationibus etiam in forma Camera Apostolicæ, & juramento etiam cum susceptione censurarum, & de non contraveniendo, ac etiam fortasse de non impetrando gratias nostras contra eos, & concessis non utendo vallatis, & forsitan aliis etiam efficacioribus cautelis, & decretis, ac clausulis super iisdem fructibus, & pensionibus, etiam medio cedularum Banci, seu in forma Depositii habentibus, & intra præsentem an. habituris cujuscumque præeminentiæ, status, gradus, ordinis, & conditionis, etiam Religionis, vel militiæ existent, quibus aut quorum aliquibus ulla privilegia, & exemptiones, aut Indulta sub quacumque verborum forma, & expressione concessa quoad hoc nullatenus suffragari posse volumus, Fratribus, & personis dicti Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani in totum, & omnino; cæteris vero Hospitalibus hospitalitatem actu servantibus pro ea quantitate tantum, quam in servanda ipsa hospitalitate exponunt, dumtaxat exceptis, & dummodo a personis Ordinum mendicantium non nisi mediæ partis, quæ ratione subsidii hujusmo-

di ab eis solvenda esset solum exigatur, proportionabiliter, & æqualiter juxta verum valorem prædictum inter prædictas personas Ecclesiasticas secundum æqualem & discretam partitionem, quam ad Nos quamprimum mitti mandamus per Venerabiles Fratres Jacobum Archiepiscopum Athenarum Nuncium nostrum, & Patriarcham Venetiarum distribuendum ac in locis, & terminis, modisque, & formis per ipsos Jacobum Archiepiscopum Nuncium, & Patriarcham, quos Collectores Generales subsidii hujusmodi harum serie constituimus, & deputamus, statuen, ordinan, & declaram. omnino de præsentis anno persolven, ac per eos, & eorum Subcollectores, qui sunt personæ Ecclesiasticæ ad hoc ab ipsis deputandos percipiendos, exigendos, & levandos, ac Duci, & Dominio prædictis cum effectu consignandos, ut illud in expensas necessarias contra dictos Turcas, & non in alios usus convertere valeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium, imponimus, impositumque fore, & esse decernimus, & declaramus, necnon eisdem Collectoribus Generalibus, & ab eis deputandis subcollectoribus, hujusmodi a Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Administratoribus, Electis, Abbatibus, Commendatariis, Prioribus, Præceptoribus, Præpositis, Prælatibus, Capitulis, Conventibus, & aliis personis Ecclesiasticis prædictis, præterquam, ut supra exceptis, ratam dicti subsidii eos, & eorum quemlibet ut præmittitur tangentem petendi, exigendi, & colligendi, eisque, & eorum singulis, ut illam modo præmissa solvant per poenas, quoad Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos interditi, & suspensionis ingressus Ecclesiæ, quoad alios vero privationis Beneficiorum Ecclesiasticorum per eos quomodolibet obtentorum, & alias de quibus illis videbitur, etiam pecuniarias, ac demum per sententiam excommunicationis, aliasque censuras Ecclesiasticas, cæteraque opportuna juris, & facti remedia mandandi, & præcipiendi, Contradictores quoslibet, rebelles, & suam ipsius subsidii partem solvere recusantes, seu differentes, & ne illa solvatur persuadentes directe, vel indirecte per poenas, censuras, & remedia hujusmodi appellatione postposita compescendi, brachii quoque secularis auxilium, si opus fuerit, ad hoc invocandi; solventes de solutis quietandi, & liberandi, a censuris, & poenis, quas præmissorum occasione quomodolibet incurrerint, absolvendi, & generaliter omnia, & singula alia in præmissis, & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna, etiam si mandatum exigere magis speciale, quam præsentibus sit expressum faciendi, gerendi, ordinandi, mandandi, & exequendi plenam, & liberam auctoritatem, & tenore prædictis facultatem concedimus, & potestatem

§.2. Volentes tamen quod personæ Ecclesiasticæ ratione subsidii hujusmodi eam tantum quantitatem solvere teneantur, quam

Collectores hujus subsidii deputat.

Contravenientium poenz.

Decretum Innoc. X. confirmat.

Contrariis derogat.

Transumptio sine fides.

quam ratione similium Subsidiorum a Felice, Innocentio Papa X. Prædecessore nostro, & a Nobis respective concessorum solverunt, & nihil amplius; Quodque expense, quæ circa exactionem subsidii hujusmodi forsitan faciendæ fuerint, in centum mil. scutis prædictis minime computari debeant; sed dictæ Personæ Ecclesiasticæ expensas ipsas ultra ratam partem, quam ratione ejusdem subsidii solvere debebunt, etiam persolvere teneantur.

§.3. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis etiam in Conciliis Universalibus editis, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratum, Ordinum, Congregationum, & Militiarum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus & naturis, privilegiis quoque, Indultis, exemptionibus, & immunitatibus etiam in Corpore Juris clausis, ac literis Apostolicis, Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, Præceptoribus, Prælatibus, Capitulis, Conventibus, Ordinibus, Congregationibus, & Militiis, aliisque prædictis in genere, vel in specie sub quacumque forma, & verborum expressione a Nobis, & Sede Apostolica etiam confirmatorialiter, & motu simili, ac alias quovis modo emanatis, concessis, & etiam iteratis vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam si pro sufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialiter, specifica, expressa, & individua non antem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, & in eis caveatur expresse quod per hujusmodi clausulas generales eis nullatenus derogetur, nec derogatum esse censetur, nisi sua certis modo, & forma in eis expressis, tenores hujusmodi acti de verbo ad verbum infererentur, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis, ac modum, & formam ad id servandos pro individue servatis habentes ad præmissorum effectum illis alias in suo robore permanentibus hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.4. Aut si Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Electis, Administratoribus, Abbatibus, Commendatariis, cæterisque prædictis, & quibusvis aliis communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem.

§.5. Volumus autem, quod juxta Ordinationem in Concilio Viennen. super hoc editam, Calices, libri, & alia ornamenta Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratum, & aliorum Beneficiorum, & Piorum locorum sub præsentibus comprehenditur, divino cultui dedicata causa pignorum, Bull. Rom. Tom. VI. Par. V.

ris, vel alias occasione solutionis subsidii hujusmodi nullatenus capiantur, distrahantur, vel occupentur; Quodque earumdem præsentium literarum transumptis manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus ex dictis Collectoribus, vel alterius Prælati Ecclesiastici munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra habeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 13. Aug. 1660. Pontificatus nostri Anno VI.

Dat. die 13. Aug. 1660. An. VI.

CCCX.

Impositio Decimarum pro Republica Veneta.

Ex Regest. in Secret. Breve.

Venerabilis Fratri Jacobo Archiepiscopo Arbenarum moderno, & pro tempore existenti nostro, & Sedis Apostolicæ in Dominio Venetorum Nuncio.

ALEXANDER PAPA VII.

Venerabilis Frater salutem, & Apostolicam benedictionem.

Acrosanctæ militantis Ecclesiæ regimini per abundantiam divinæ gratiæ nullo licet meritorum suffragio præpositi, inter graves sollicitudines, quibus pro credito Nobis Apostolicæ servitutis officio assidue præsumur, ea est præcipua, quam continua pericula, atque discrimina, quæ a nefario Christi nominis hoste Turcarum tyranno Principibus, & Populis Christianis nunquam non impendunt Nobis conficiunt. Quapropter, etsi Domini Dei exercituum, qui sponsam suam Ecclesiam Sanctam prætegit præsidio potissimum confidamus, cogimur tamen pro debito Pastoralis muneris in id omni cogitatione, omnique cura incumbere, ut provisionis nostræ ministerio adhibitis Catholicorum Principum viribus mala hujusmodi prorsus a Populo Christiano arceantur.

Exordium.

§.1. Cum vero plus satis constet eundem impium Turcarum tyrannum nihil avidius querere, quam Christianos Populos invadere, & Christianam Religionem exterminando, abominationem suam plantare, & propagare, ejusque vires, nostris facientibus peccatis malo nostro admoniti cogamur timere, omnique cura, & sollicitudine præcavere, multo magis castra Domini custodire, & præmunire Nos oportet hoc præsertim tempore, cum idem Turcarum tyrannus ingentibus mari, terraque copiis ditiones nobilissimæ Reipublicæ Venetorum invaserit, quæ ut improbis ejus conatibus resistere possit, cum magnos sumptus jugiter facere debeat; Idcirco ferre: Clementis VIII., & Pauli V., necnon Gregorii XV., ac Urbani VIII., & Innoc. X. aliorumque Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum vestigiis inherentes

tes Republicam id enixe flagitantem ecclesiasticis auxiliis prompto, libentique animo adjuvandam decrevimus: Attendentes non solum Nos ejus unius saluti, verum etiam multorum, ac omnium Italiae Populorum incolumitati consulere, cum ipsa sit magnum totius Italiae munimentum, ac firmissimum Maris Adriatici propugnaculum. Quamobrem æquum, & rationi consentaneum esse duximus eidem Republicæ eorundem Clementis, ac Pauli, necnon Gregorii, & Urbani, ac Innocentii Prædecessorum exemplo, subsidio Decimarum ex fructibus, & redditibus totius Cleri ejusdem Status Venetorum pro eisdem usibus ad certum tempus attribuendo subvenire, firmam in Domino fiduciam habentes fore, ut ea Respublica testificatione paternæ voluntatis erga se nostræ non solum sese munitam, & ad resistendum communi hosti paratam in dies magis conservet, sed etiam illum a suis finibus animose detradat.

§.2. Nos igitur istis, aliisque gravissimis, & justissimis de causis moti, motu proprio, ac ex certa scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium indicimus, & imponimus sexdecim integras decimas omnium, & quorumcumque fructuum, reddituum, & proventuum quarumcumque Ecclesiarum Patriarchalium, Archiepiscop., Episcop., Abbatialium, Capitularium, & Conventualium, Prioratum quoque Præpositurarum, Præpositatum, Præceptoriarum, Canoniarum, Præbendarum, Dignitatum majorum, & principalium, Personatum Administrationum, & Officiorum, cæterorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura secularium, ac Sancti Benedicti, Sancti Augustini, Clniacen., Cisterciens., Præmonstraten., Sancti Basilii, Silvestrinorum, & qui proprietates, redditusque certos ex privilegio apostolico, vel alias possident, mendicantium, & quorumvis aliorum Ordinum utriusque sexus, & Congregationum, non tamen earum quæ inferius descriptæ sunt, ac militiarum in universo Dominio dictæ Republicæ Venetorum existentium. Ac insuper alias sexdecim Decimas omnium, & quarumcumque pensionum annuarum super fructibus, redditibus, & proventibus supradictis assignatarum, & assignandarum ab omnibus, & quibuscumque Patriarchis Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatibus, cæterisque cujuscumque status, gradus, dignitatis, & conditionis (exceptis dumtaxat Ven. Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus, necnon dilectis filiis Fratribus Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, ac Fratribus Mendicantibus prædictis, & insuper Beneficiis Ecclesiasticis Officio Sanctæ Inquisitionis hæreticæ pravitatis in dicto Dominio instituto unitis, annexis, & applicatis, quos Cardinales, ac Fratres Hospitalis prædicti, ac beneficia prædicti Inquisitionis officio unita in totum, Fratres vero Mendicantes pro medietate

dumtaxat ab eisdem decimis, & illarum solutione immunes, & exemptos esse volumus, & decernimus Ecclesias, Monasteria, & Beneficia, ac pensiones, seu fructus, aut illorum partem hujusmodi in eodem Dominio quocumque jure, ac titulo obtinentibus, & obtenturis, necnon ab universis etiam Economis, Commendatariis, atque Administratoribus perpetuis, & temporalibus, usufructuariis similiter fructus omnes, vel illorum partes loco pensionum annuarum, vel pensiones, & alia hujusmodi jura ex quacumque auctoritate apostolica in toto, vel in parte reservata habentibus, & habituris, sive secularibus, sive quorumcumque Ordinum, Congregationum, & Militiarum prædictorum regularibus, & ab ipsis etiam Ecclesiis, Capitulis, Conventibus, Ordinibus, Congregationibus, Personis, Collegiis, Militiis, Massis, & locis prædictis quacumque amplissima, & firmissima exemptione, & immunitate reali, personali, vel mixta antiqua, & memorabili, pacifica, & continua etiam, ex titulo quantumvis oneroso sustulis integraliter, & cum effectu numerandas persolven., & consignan. ulterius supradictis ex causis, ac exemplo Clementis, & Pauli, ac Gregorii, necnon Urbani, ac Innocentii Prædecessorum prædictorum adducti motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus imponimus, & indicimus novem Decimas omnium, & quorumcumque fructuum, reddituum, & proventuum ad Cassinens. alias Sanctæ Justine de Padua, Lateranens., Carthusien., Montis Oliveti, Sancti Salvatoris, Camaldulen. Sanctæ Mariæ Vallis Umbrosæ, Sancti Giorgii in Alga Venetiarum, Cælestinorum, Cisterciens., Provincia Lombardiæ, Cruciferorum, ac Sancti Hieronymi Congregationes, earumque Monasteria Abbatiales, vel Conventuales, aut alias mensas, Prioratus, Præceptorias, Præposituras, Beneficia, & Officia cum cura, & sine cura, membra, Grangias, & alia Beneficia illis annexa in dicto Dominio consisten. quovis modo pertinentia solven. etiam per ipsas Congregationes, earumque Superiores, Abbates, Priores, Præpositos, Conventus, Capitula, & Personas ultra subsidia montis Religionis, seu quadringentorum millium, scutorum, & quartæ partis eorundem fructuum, reddituum, & proventuum, & alia onera, quæ per Sedem Apostolicam eis imposita, aut alias persolvunt, seu persolvere promiserunt, similiter numerandas persolven., & consignan. secundum verum annum, valorem fructuum, reddituum, & proventuum prædictorum, & ad effectum licet sel. rec. Pius V. nonnullis tunc causis adductus, & Clemens, necnon Paulus, & Gregorius Prædecessores prædicti etiam, ex aliis tunc expressis causis eisdem Congregationes a Decimis super fructibus, & redditibus Ecclesiasticis deinceps ubivis etiam in Dominio Venetorum, & ex quacumque causa imponendis liberas, & immunes fecerint, pari motu, scientia, auctori-

toritate, & de apostolicæ potestatis plenitudine quoad fructus, redditus, & proventus ad ipsas Congregationes, & quamlibet earum in Dominio Venetorum spectantes immunitates, exemptiones, ac omnes, & quoscumque contractus, scripturas, conventiones, transactiones, concordias, pacta, instrumenta, obligationes etiam in forma Camera Apostolicæ, & juramento, vel alia quavis firmitate roborata, præsertim inter Pium, & Clementem, ac Paulum, necnon Gregorium Prædecessores nostros, & Camera Apostolicam, & pro ea S.R.E. Camerarium, vel Thesaurarium generalem, aliosve quoscumque tunc existentes, & ejusdem Camera Ministros quantumvis ampla, & sufficienti facultate ad præmissa facien. sustulos ex una, & Congregationes ultimodictas, illarumque Procuratores ex altera partibus, ac omnia, & quacumque privilegia, indulta, libertates, exemptiones, immunitates hac de causa in hunc usque diem eisdem Congregationibus etiam ex causa, & titulo oneroso concessa, hac vice dumtaxat, & ex causis supradictis suspendimus, ac ipsis Congregationibus quoad novem decimas prædictas, hac vice, ut præfertur, suffragari nolumus; illa vero alio in suo robore permanere decernimus; ipsasque Congregationes ex gravissimis causis prædictis novem decimas hujusmodi oneramus, & cum cæteris secularibus, & regularibus Clericis, personis ejusdem Domini Venetorum sexdecim, ut præfertur, indixerimus, tali nostræ impositioni acquiescere, ac tacitas, & contentas esse volumus. Universas vero, & singulas personas quavis dignitatis, vel auctoritate fungentes, tam supradictas Ecclesias, Monasteria, & Beneficia quomodolibet obtinentes, ac pensiones, seu fructus, aut eorum partem sibi, ut præfertur, reservatos percipientes, quam ultimodictas Congregationes, & eorum unumquemque tam conjunctim, quam divisim ad hujusmodi Decimas in octo annis binas videlicet Decimas dumtaxat quolibet anno, & quoad ultimodictas Congregationes singulas tantum Decimas cum una octava parte alterius Decimæ; quoad dictos autem Fratres Mendicantes singulas similiter Decimas, quotannis, durante octennio a die quo ultima similis concessio a prædicto Innocentio Prædecessore facta expiraverit inchoando, & ut sequitur finem in certis terminis per te præfigendis integre persolven. efficaciter teneri, & vere obligatos esse, istdemque pensionariis, aut eorum alicui pensiones annuas prædictas quantumlibet exemptas, & sub quibusvis obligationibus etiam in forma Camera, & juramento etiam de non contraveniendo, & forsan, de non impetrando gratias nostras contra eos, & de non utendis concessis firmatas, aut alias vallas, & forsan aliis cautelis, & decretis munitas, causam donationis super istdem fructibus, & pensionibus, etiam medio cedularum banchi, seu in forma depositi haberi-

tibus, & intra octo annos prædictos habituris, etiam ipsi a quibus pensiones hujusmodi solvendæ sunt, juri, & actioni petendæ, vel retinen. portionis, aut ratæ partis pensionarios tangen. jurejurando renunciaverint, ulla Privilegia, aut Indulgentias sub quacumque verborum forma, aut expressione concepta quoad hoc nullatenus suffragari volumus, sicque, & non aliter in prædictis universis, & singulis per quoscumque Judices, & Commissarios, & causarum Palatii Apostolici Auditores, etiam S.R.E. Cardinales in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus: Ut autem hujusmodi Decimæ facilius exigantur, fraternitatem tuam, ac Ven. Fratrem Patriarcham Venetiarum, necnon Ven. etiam Fratrem Danielelem Episcopum Tagasten. ad dictas Decimas exigendas, Ducique, & Dominio prædicto, sive ejus Ministris ad id specialiter deputatis statim, nulla interposita mora, & sine aliqua proffus diminutione, retentione, aut detractione, etiam non detractis quinque pro centenario Camera nostræ prædictæ in exactione talium decimarum applicari consuetis integre consignandas earundem Decimarum Collectores, & exactores constituimus, & deputamus. Ac tibi, & Patriarchæ Venetiarum, ac Danieli Episcopo prædictis pro onere, quod in exactione Decimarum hujusmodi sustinebitis quatuor millia scuta auri in auro ex eisdem Decimis detrahenda, & illorum medietatem inter vos pro aequali portione, & quolibet anno ejusdem octennii pro rata distribuere, & dividere, reliquam vero medietatem Subcollectoribus, & aliis Exactoribus, ac Procuratoribus ad eandem Decimas colligendas deputatis etiam quolibet anno pro rata habita ratione laboris, & amplitudinis cujuscumque Civitatis, & Diocesis. loco salarii, seu stipendii, & mercedis assignari, & distribuere, ita tamen, ut non quotannis hujusmodi quatuor millia scuta, sed in toto octennio integra summa eorundem quatuor millium scutorum pro rata quolibet anno detrahatur, ac tam vos, & quilibet vestrum, quam ipsi Subcollectores, & alii prædicti ratione fructuum Ecclesiarum quibus nunc præesse dignoscimini, aut in posterum præfici, vel Beneficiorum obtentorum, aut quæ obtinere, & non fructuum, & pensionum reservatorum; & assignatarum, ac quos, & quas vobis assignari posthac contigerit, Decimas ipsas pro vestra, & illorum rata, & illorum quemlibet tangente integre, & realiter persolvere omnino teneamini, & dicta assignatione, & distributione contenti esse debeatis, nec quidquam aliud vos, & vestrum quilibet prætere posse, tibi, & aliis prædictis a dictis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Electis, Administratoribus, Commen-

Commendatariis, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Capitulis, Conventibus, & aliis personis supra expressis exceptis, eisdem Decimas, ut præfertur, per Nos impositas peten., exigen., & colligen., eisque tam in genere, quam nominatim, & in specie ut illas solvant, sub privationis Beneficiorum Ecclesiasticorum per eos quomodolibet obtentorum, aliisque prout Nobis videbitur poenis etiam pecuniariis, ac demum per sententias, & censuras ecclesiasticas mandandi, & præcipiendi, ac pro eorumdem Decimarum faciliori exactione unum, vel plures Subcollectores, qui si in dignitate ecclesiastica constituti sint, pari actu vigore præsentium facultate fungantur per locorum Ordinarios, in quacumque Civitate, & Diocesi, & loco sibi subiecto pro tempore deputatos approban., & si quis ex ipsis Ordinariis intra aliquem breve terminum vestro arbitrio præfigendum viros idoneos ad id deputare neglexerit, tibi, etiã sine illorum consensu tuo arbitrio, illos libere deputan., & deputatos amoven., alioque eorum loco toties quoties tibi videbitur substituendi, & subrogandi, & solvere recusantes, & differentes, & generaliter contraditores quoslibet, & rebelles, & ne Decima hujusmodi solvantur persuadentes directe, vel indirecte per ipsas censuras ecclesiasticas, & alia opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendi, auxiliumque brachii secularis contra eos ad hoc si opus fuerit invocandi, solventes vero de solutis quietandi, & liberandi a censuris, & poenis, quas dicta occasione quomodolibet incurrerint, absolvendi, & generaliter omnia, & singula in præmissis, & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna facien., ordinan., mandandi, & exequen. plenam, & liberam, auctoritate, & tenore prædictis, facultatem concedimus, & potestatem.

Generatim collig.

§.3. Non obstant. Regula nostra de non tollendo jure quæsto, ac aliis quibusvis apostolicis, ac etiam in provincialibus, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, caterisque contrariis quibuscumque. Aut si ipsis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Electis, Administratoribus, Commendatariis, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Capitulis, Conventibus, Congregationibus, & aliis personis prædictis, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem ad solutionem alicujus Decime non teneantur, & ad id compelli, aut quod interdicti, suspendi, vel excommunicari, seu extra, vel ultra certa loca ad judicium evocari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam de indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, & exemptionibus, & in corpore juris clausis, ac

Literis Apostolicis quibuscumque Dignitatibus, seu Ordinibus specialiter, vel generaliter sub quacumque verborum forma, expressis, etiam si motu proprio, ac de apostolica potestatis plenitudine, & consistorialiter, ac etiam in vim contractus emanaverint, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiyidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda esset, quæ eis quoad præmissa nolumus in aliquo suffragari.

§.4. Volumus autem, quod juxta ordinationem a Concilio Viennen. super hoc editam, Calices, libri, & alia ornamenta Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum, & aliorum Piorum locorum divino cultui dedicata ex causa pignoris, vel alia occasione solutionis Decimarum hujusmodi, nullatenus capiantur, distrahantur, vel occupentur, quodque præsentium literarum transumptis tuo, vel alterius Prælati Ecclesiastici sigillo, ac publici Notarii subscriptione munitis, eadem prout fides in judicio, vel extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensa.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 4. Sept. 1660. Pontificatus nostri Anno VI.

Dat. die 4. Sept. 1660. An. VI.

CCCXI.

Statuit ne de cetero in Provinciis Tertii Ordinis S. Francisci Congregat. Gallie Oblati, seu servientes ullatenus recipiantur, & ad Professionem admittantur, nisi cum bienniali Novitiatu, & quarto voto de non procuran. alia ab hujusmodi Oblatorum, & servientium conditione ad præscriptum Constitutionis sub poenis privationis vocis activæ, & passivæ, necnon Officiorum, & nullitatis gestorum, neque quicquam circa statum ditorum Oblatorum, seu Laicorum in Capitulis Provincialibus, seu extra eorum Constitutionum dicti Ordinis, & præsentium literarum forma innovetur.

Secret. Præf. in Regest. in

ALEXANDER PAPA VII. Ad futuram rei memoriam.

§.1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Rénatus Parisiensis, & Simon Lugdunensis Procuratores Fratrum, Laicorum Tertii Ordinis S. Francisci Congregationis Gallicanæ quod alias per fel. record. Urbanum VIII. Prædecessorem nostrum accepto, quod Fratres Oblati, seu Servientes Ordinis, & Congregationis hujusmodi præter tria vota solemnia ab aliis ejusdem Ordinis Fratribus emitti solita, alio quarto voto de non procuranda alia Fratrum Oblatorum conditione sese obstrinxerant, idem Urbanus Prædecessor noster ad supplicationem dilecti filii Antonii Saggiæ, tunc ejusdem Congregationis Procuratoris Generalis, prævia dispensatione, seu

Supplicatio

seu relaxatione prædicti quarti voti benigne indulgit, & concessit eisdem Fratribus Oblatis, seu servientibus tunc in prædicto Ordine existentibus, ut ad Caputium, & statum Fratrum Laicorum ejusdem Tertii Ordinis sub certis modo, & forma admitti possent, & insuper eisdem Fratribus Laicis dictæ Congregationis tunc præsentibus, & futuris etiam a statu Oblatorum assumptis, vel assumendis jus suffragiorum restituit, ac de novo concessit, prout in binis ejusdem Urbani Prædecess. in simili forma Brevis literis, unis die 26. Aug. 1641. & alteris die 25. Maii 1644. desuper expeditis uberius continetur. Novissime vero nomine Provincie S. Francisci, seu Francie ejusdem Tertii Ordinis Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ supplicato, ut facultatem admittendi in futurum prædictos Fratres Oblatos, seu servientes ad Caputium, & statum laicorum concedere, & biennium Novitiatus eorumdem Fratrum ad unicum dumtaxat annum juxta dispensationem, seu Decretum tunc existentis Ministri Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci die 20. April. 1646. emanatum reducere vellet, iidem Cardinales responderunt dispensationem, seu Decretum hujusmodi prædictæ Provincie suffragari, ipsamque prædictis Urbani Prædecessoris Literis, servata illarum forma, & tenore uti posse; quo vero ad dispensationem Ministri Generalis prædicti, quod sufficiat unus annus Novitiatus, servandas omnino esse Constitutiones generales ejusdem Tertii Ordinis Congregationis Gallie, ex quibus requiritur biennium, prout in Decreto Congregationis eorumd. Cardinalium die 3. Octobris proxime præteriti, ac Literis nostris Apostolicis desuper in eadem forma Brevis die 21. Januar. proxime elapsi expeditis, uberius continetur.

Sequitur supplicatio.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat moderni Provinciales, & Definidores Provinciarum S. Francisci, seu Francie, & Sanctorum Ludovici, & Elzearii ejusdem Congregationis Gallie præmissis non obstantibus Fratres Oblatos, seu servientes prædictos cum unico anno Novitiatus, & tribus dumtaxat votis solemnibus admittere, illosque post aliquot annos ad Caputium, & Fratrum Laicorum statum assumere posse ad hinc præterdant, id vero directe adversetur Constitutionibus Generalibus præd. Tertii Ordinis expresse requirentibus in hujusmodi Fratribus Oblatis, seu servientibus præter duos annos Novitiatus tria vota solemnia, & quartum de non procuranda alia a Fratrum Oblatorum, seu servientium conditione, in qua permanere debeant.

§.3. Nobis propterea iidem humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, de benignitate Apostolica dignaremur: Nos igitur ipsos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicatio-

nis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de eorumdem Ven. Fratrum nostrorum, S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, ad quos negotium hujusmodi denuo examinandum, & determinandum novissime remisimus, quique partes sepius audiverunt, & rem attente, & mature discussissent consilio Apostolica auctoritate tenore præsentium declaramus, statuimus, & decernimus, ut in futurum Oblati, seu servientes in memoratis Provinciis Tertii Ordinis S. Francisci in Regno Gallie consisten. nullatenus recipiantur, & ad Professionem admittantur, nisi cum bienniali Novitiatu, & quarto voto de non quærenda, seu procuranda alia ab hujusmodi Oblatorum, & servientium conditione ad præscriptum ejusdem Ordinis Constitutionum; ac proinde sub poenis privationis vocis activæ, & passivæ, necnon Officiorum, & perpetuæ inhabilitatis ad ea, & alia quæcumque obtinenda prædicti Ordinis Superioribus, Officialibus, & aliis quibuscumque, ad quos spectat, seu spectare quandocumque poterit in futurum, atque etiam nullitatis, & invaliditatis secus gestorum, & gerendorum auctoritate, & tenore prædictis præcipimus, & prohibemus, ne aliter quam modo, & forma præmissis hujusmodi Oblatos, seu servientes in posterum recipiant, nec quicquam erga, vel circa statum, & conditionem tam eorumdem Oblatorum, seu servientium, quam etiam Fratrum Laicorum, sive in Capitulis Provincialibus, sive extra contra prædictarum Constitutionum, & præsentium Literarum formam, & tenorem sub jam dictis poenis attentare, seu innovare audeant, aut præsumant.

Confirmat decretum.

Contravenitium poenæ.

§.4. Decernentes eisdem præsentibus Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§.5. Non obstantibus prædictæ Congregationis Cardinalium Decretis, literisque Apostolicis hucusque desuper emanatis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet con-

Contraria tollit.

concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 13. Sept. 1660. Pontificatus nostri Anno VI.

CCCXII.

Decretum die 14. Novembris anni 1659. ac Breve Sanctitatis Suae die x. Septembris dicti anni expedit, circa statum Oblatorum, & servientium Provinciarum S. Francisci, & SS. Ludovici, & Elzearii Tertii Ordinis S. Francisci Congregationis Gallicanae servand. esse; cum iis tamen, qui post Breve fel. rec. Urbani PP. VIII. 26. Aug. 1641. emanat, in dicto Ordine recepti ex Oblatorum ad Laicorum statum haecenus de facto transierunt, ex benignitate Apost. dispensat.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Renatus Parisien., & Simon Lugdunen. Procuratores Fratrum Laicorum Provinciarum S. Francisci, & SS. Ludovici, & Elzearii Congregationis Gallicanae Tertii Ordinis S. Francisci, quod alias postquam fel. rec. Urbanus Papa VIII. Praedecessor noster cum Fratribus Oblatis, seu servientibus, qui tunc in Ordine praedicto existebant super quarto voto, quod vigore statutorum generalium ejusdem Congregationis Gallicanae emiserant, dispensaverat, eisque transitum ad statum Laicorum concesserat, prout in ejusdem Urbani Praedecessoris Lit. in simili forma Brevis die 26. Augusti 1641. emanatis, uberius continetur, dictae Congregationis Superiores vigore literarum hujusmodi, nedum Fratres servientes, qui tunc temporis in Ordine erant, sed etiam postea receptos, seu recipientes, ad statum Laicorum admittere posse praetulerunt praetextu etiam cujusdam Decreti Congregationis Venerab. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium Praepositorum 3. Octobris anni praeteriti emanati, & a Nobis per Literas in eadem forma Brevis die 21. Januarii proxime praeteriti expeditas, confirmat., quo declaratur praedictas Urbani Praedecessoris literas Provinciae S. Francisci, seu Franciae dictae Congregationi suffragari.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subungebat eadem Urbani Praedecessoris literae ad Fratres Oblatos, seu servientes, qui tunc temporis in Ordine existebant restringantur, nec Fratribus servientibus postmodum admissis ullatenus suffra-

gatari valeant, prout Decreto Ven. FF. Emilianii Camerinen., & Caroli Clusii Episcoporum, quibus negotium hujusmodi examinandum demandaveramus, die 14. Novembris anni praeteriti emanato, & a Nobis die 10. Decembris ejusdem anni per alias nostras pariter in forma Brevis literas confirmat. expresse declaratum fuit, Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de eorumdem Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium Praepositorum, qui rem partibus auditis attente, & mature discussurunt, consilio, attentis narratis, auctoritate Apostolica tenore praesentium declaramus circa praemissa servandum esse Decretum sub die 14. Novemb. anni proxime elapsi 1659. ac Literas Apostol. in forma Brevis die 10. Decembris ejusdem anni desuper expeditas, prout ea, eorumque tenorem, & formam servari omnino mandamus, & praecipimus in contrarium allatis minime obstantibus, cum iis tamen, qui post praedictas Urbani Praedecessoris Literas die 26. Augusti 1641. emanatas in dicto Ordine recepti, ex Oblatorum ad Laicorum statum haecenus de facto transierunt, ex benignitate Apostolica dispensamus.

§. 3. Decernentes praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quaquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat

Decretum praesentium confirmat.

Clausula.

Derogatio contrarium

specialiter, & expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 13. Sept. 1660. Pontificatus nostri Anno VI.

Dat. die 13. Sept. 1660. An. VI.

Secret. Breve. Ex Regest. in

CCCXIII.

Revocat, & destituit Rectores Monialium Carmelitanarum Excalceatarum Regni Franciae, ac facultatem concedit singulis Monasteriis eligendi sibi suum Rectorem, seu Superiorem ordinarium immediatum, cum diversis Ordinationibus.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Procurium.

Acrosancti Apostolatus Officii cura, inscrutabili divinae providentiae arcano humilitati nostrae imposita, qua Catholicae Eccl. per universum Orbem diffusae adstringimur, Nos admonet, ut circa statum Monasteriorum, & locorum regularium quorumvis, & praesertim illorum, in quibus prudentes Virgines, & devotae Mulieres spretis fallacibus Mundi hujus illecebris, in occursum celestis earum Sponsi per viam mandatorum ejus felici cursu properare student, prospere dirigendum operose, jugique vigilantia intendamus, & ad illa, per quae salubriori earum directioni, personarumque ibidem Altissimi obsequiis, & beneplacitis distarum saluti, & religiose tranquillitati consulitur, pastoralis sollicitudinis nostrae partes propensius impartiamur, prout rerum, locorum, personarum, & temporum qualitatibus debite perpensis ad Omnipotentis Dei Gloriam, Religionis incrementum, & felicem progressum salubriter expedire in Domino arbitramur.

Decretum Clem. VIII.

§. 1. Sane dudum fel. rec. Clemens Papa VIII. Praedecessor noster per quaedam suas sub plumbo anno Incarnationis Dominicae 1603. Idibus Novembris expeditas literas Monasterium nunc Incarnationis nuncupatum Parisien. Monialium Ord. Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo Excalceatarum nuncupatarum sub reformatione S. Theresiae primum Instituti hujusmodi in Regno Franciae sub certis modo, & forma, tunc expressis erexit, & instituit. Ac idem Monasterium sic erectum, ejusque Abbatissam, Conventum, Moniales, Rectores, & Officiales, Ministros, Servientes, & personas, necnon bona universa ab omni jurisdictione, correctione, & visitatione, dominio, superioritate, subjectione, & potestate pro tempore existentis Episcopi Parisien., seu illius Officialis, aut Vicarii in spiritualibus generalis, necnon Protectorem, ac Generalium, & Provincialium, Ministrorum, aliorumque Praelatorum, & Superiorum Ord. Fratrum Mitigatorum ejusdem Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo in spiritualibus, & temporalibus penitus, & omnino itidem perpetuo exemit, & liberavit, ac sub Beati Petri, & Sedis Apostolicae, atque sua, & pro tempore Bull. Rom. Tom. VI. Par. V.

existentis Romani Pontificis protectione, & inviolabili conservatione suscepit, ipsumque Monasterium sic erectum visitationi, correctioni, obedientiae, superioritati, & omnimoda jurisdictioni in eisdem spiritualibus pro tempore existentis Commissarii generalis Ord. Fratrum Discalceatorum, seu Reformatorem nuncupatorum Beatae Mariae de Monte Carmelo, & donec illius Regula reformata hujusmodi in memorato Regno Franciae, ubi nullum adhuc catenus virorum Monasterium sub ea militare reperiebatur, recepta, & introducta foret, pro tempore existentis Prioris Gen. Ordinis Carthusien. cum diversis facultatibus, necnon curae, gubernio, regimini, & administrationi trium Presbyterorum in eisdem literis nominatorum, cum diversis itidem facultatibus respective subjecit, & alias prout in dd. literis uberius continetur.

Postmodum vero rec. mem. Paulus Papa V. itidem Praedecessor noster per quaedam suas in simili forma Brevis literas die nona Septembris 1604. expeditas, cum accepisset praedictum Priorem Generalem Ordinis Carthusien. vigore Decreti in Capitulo generali ejusdem Ordinis editionis hujusmodi reculasse, tunc existentem in praedicto Regno Sedis Apostolicae Nuncio, ut singulis bienniis, donec aliud ab ipso Paulo Praedecessore, & Sede praefata mandatum foret, etiam si dicti Fratres Carmelitae Discalceati tunc forsan Parisiis, vel in aliis Civitatibus, seu locis Regni praefati Conventus obtinerent, vel in posterum assequerentur, unum sacerdotem ex duobus sibi nominandis, ac praesentandis per praedictos Administratores in visitationem dicti, & aliorum Monasteriorum Carmelitanarum Discalceatarum in dicto Regno Franciae erectorum, vel in posterum erigendarum deputare, ac illum sic deputatum suo arbitrio, & infra triennium revocare, & finito triennio ad aliud triennium, non tamen ultra, confirmare posset facultatem concessit, Visitatorique hujusmodi super visitatione Monasteriorum praedictorum, certas facultates attribuit.

Et successive idem Paulus Praedecessor, cum paulo ante Congregationem Clericorum Oratorii nuncupatam, deputato in illius Praeposito Generalem bon. mem. Petro, dum vixit, S. R. E. Cardinale de Berulle nuncupati tunc in minoribus aetate, erexit, & dictamque Congregationem ex Presbyteris pietate, & doctrina conspicuis, aetate gravibus, zeloque erga Religionem Catholicam, & Sedem Apostolicam praestantibus compositam esse, & uberes fructus in Vinca Domini producere accepissent, revocata quam prius Nuncio praedicto tribuerat deputandi Visitatorem Monasteriorum praedictorum facultate, praedictum, caeteraque Ord. Carmelitanarum excalceatarum Monasteria in Regno Franciae constituta hujusmodi tamen catenus erecta, quam ex tunc perpetuis futuris temporibus erigenda cura, visitationi, correctioni, & superioritati dicti Petri, & pro tempore existentis

Decretum Pauli V.

Petrus de Berulle in dicta Cong. Praepositum Generalem bon. mem. Paulo V. deputatus.

stentis Præpositi Generalis, qui hujusmodi Monasteria, eorumque Superiores, Abbatissas, seu Priorissas, ac Moniales, & alias personas in eis degentes visitare possent, & valeret, ad Sedis Apostolicæ beneplacitum subiecit, & supposuit per alias suas pariter in forma Brevis die 17. Aprilis 1614. emanatas literas, quas, necnon omnia, & singula in eis contenta subinde cum clar. me. Ludovicus VIII. tunc temporis Francorum Rex Christianissimus exponi fecisset, dictum Petrum regimini, & gubernio Monialium prædictarum cum multo illarum spirituali fructu, ac Christianissimum ædificatione vacavisse, approbavit, & confirmavit, & alias prout in ipsius Pauli Prædecessoris literis desuper etiam in forma Brevis die 14. Martii 1620. expeditis plenius continetur.

Et subinde accepto per eundem Paulum Prædecessorem quod ejus literæ prædictæ non solum non observatae, sed nonnulla potius contra earum tenorem attentata fuerant, cum ipse Paulus Prædecessor de iis, quæ a dictorum Monasteriorum Monialibus ad suum favorem allegabantur, necnon de præsentis Fratrum ejusdem Ordinis Discalceatorum nuncupatorum juribus informatus easdem literas certis modo, & forma observandas decrevisset, superveniente vero illius obitu, literæ desuper expeditæ non fuissent rec. mem. Gregorius Papa XV. etiam Prædecessor noster per quasdam suas in die 20. Martii 1621. expeditas prædictas Pauli Prædecessoris literas, omniaque, & singula in eis contenta etiam approbavit, & confirmavit.

Decretum Pauli V. a Gregor XV. confirmatum.

Supplicatio.

Deinde vero Sancti Josephi, necnon Assumptionis Beatæ Margitæ Virginis Burdegalen., ac Matris Dei Santonen., & Sanctæ Matris Dei Bituricen., ac ejusdem Matris Dei Lemovicen. Monasteriorum Monialium Excalceatarum nomine sibi exposito, quod ipsæ super iis, quæ ad earum favorem circa præmissa adduci posse prætendebant sufficienter audite non fuerant, & propterea literas prædictas subreptitias esse, & subreptionis vitio subiacere allegaverant, sequè iterum audiri desiderabant, ipse Gregorius Prædecessor ne interim tam prædicta, quam etiam loci de Morlaix Leonen. Diocesis Monialium prædictarum Monasteria ob dissensiones, discordias, & controversias inde exortas aliqua in spiritualibus, & temporalibus detrimenta paterentur providere volens, per alias similes suas die 14. Januar. 1422. expeditas literas curam, regimen, & administrationem ultimodictorum Monasteriorum, illorumque Monialium, ac rerum, & bonorum tam in spiritualibus, quam in temporalibus tunc, & pro tempore existentium dictæ Congregationis Præposito Generali, & Fratribus Discalceatis prædictis respective per prædictas, & quasvis alias literas Apostolicas tam sub plumbo, quam in forma Brevis expeditas sub quibuscumque tenoribus, & formis concessa, & demandata ad suum, & Sedis Apostolicæ præfatæ bene-

placitum suspendit, ipsaque ultimodicta Monasteria, eorumque Moniales, res, & bona quæcumque tam in spiritualibus, quam in temporalibus omnimodæ Archiepiscoporum Burdegalen., & Bituricen., & quorundam aliorum Episcoporum curæ, Regimini, & administrationi, jurisdictioni, & superioritati interim supposuit, & subiecit. Et postmodum idem Gregorius Prædecessor sufficienter auditis Monialium prædictarum Procuratoribus, & examinatis iterum plene præsentis dictorum Fratrum Juribus, acceptoque quod ejus literæ prædictæ die 13. Januarii consecræ executioni in totum de mandato ipsius Gregorii Prædecessoris demandatæ jam fuerant, easdem suas die 14. Januarii expeditas literas, ac omnia, & singula in eis contenta, cum omnibus inde sequentibus, ex causis animum suum moventibus revocavit, cassavit, & annullavit, ac revocata, cassata, & annullata, viribusque, & effectu vacua esse, & fore decrevit, & declaravit; Insuper tam prædictorum, quam Turonen., Ambianen., Rothomagen., Cabilonen., Lugdunen., Aurelianen., Nonveten., Tholosan., Parisien., Narbonen., Nivernen., Trecent., & Carnoten., Civitatum, ac Pontifare, & de Dieppe Rothomagen., Devionni, & de Castilione Lingonen., Cadorni Bajocen., Riomi, Claramonten., & de Beaulne locorum Ecluen. respective Diocesum, necnon omnium, & singulorum aliorum in dicto Regno perpetuis tunc futuris temporibus erigendorum Monasteriorum Monialium Carmelitanarum Excalceatarum hujusmodi Abbatissis, seu Priorissis, ac Monialibus, & personis quibuscumque, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub arbitrio sui poenit præcepit, & mandavit, ut prædictis Clementis idibus Novembris 1603. in iis, in quibus ipsius Gregorii Prædecessoris literas non adverbabantur, ac Pauli Prædecessoris sub die 13. Martii 1620. expeditis literis prædictis, omnibusque, & singulis in eis contentis prompte parerent, & obedirent, ac sub gubernio, regimine, & administratione dictorum Presbyterorum in memoratis Clementis Prædecessoris literis nominatorum, quorum primus tanquam præfectus, seu caput, ceteri vero duo tanquam assistentes existerent, sicut in literis dicti Clementis Prædecessoris disponitur, quique idcirco in gravibus expediendis negotiis simul convenire deberent, necnon sub visitatione, correctione, & superioritate quoad visitationem videlicet hujusmodi ejusdem Petri tunc, & pro tempore existentis dictæ Congregationis Præpositi juxta Clementis, & Pauli Prædecessorum literarum præfatarum tenorem viverent, illorumque monitis, & mandatis salubribus prompte parerent similiter, & obedirent, illaque susciperent, & efficaciter adimplere procurarent. Præterea dictorum Monasteriorum erectiones, & institutiones, quatenus opus foret approbavit, & confirmavit, cum diversis aliis ordinationibus, statu-

Decreto Clementis obedientie mandat.

statutis, concessionibus, & indulgitiis, & alias prout plenius, & uberius continetur in aliis ipsius Gregorii Prædecessoris literis dictæ die 12. Septembris 1622. emanatis, quas subinde similis recordat. Urbanus Papa VIII. etiam Prædecessor noster sufficienter auditis earumdem Monialium Procuratoribus, illarumque præsentis juribus mature perpensis, per suas die 20. Decemb. 1623. etiam in forma Brevis expeditas literas approbavit, & confirmavit. Post hæc autem dicto Urbano Prædecessori pro parte Abbatissarum, seu Priorissarum, & Monialium prædictarum inter alias exposito, quod quondam Carolus de Condreu memorati Petri in Officio Præpositi Generalis Congregationis Oratorii fuisset de consensu Presbyterorum dictæ Congregationis, & in eorum Comitibus generalibus se munus visitatoris prædictorum Monasteriorum exercere nolle, sequè eidem pro se, omnibusque suis successoribus dictæ Congregationis Præpositis Generalibus renunciare declaraverat, idem Urbanus Prædecessor supplicationibus dictarum Abbatissarum, seu Priorissarum, & Monialium nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, tunc existentis suo, & Sedis præfate in memorato Regno Franciæ Nuncio, ut singulis triennii aliquem Presbyterum secularem ætate gravem, ac vite, & probitatis spectatæ ex duobus sibi per prædictos Administratores nominandis, & presentandis in visitatorem quoruncumque Monasteriorum Monialium, Carmelitanarum Discalceatarum hujusmodi in dicto Regno eatenus erectorum, & deinceps erigendorum deputare, ac deputatum arbitrio suo, & infra triennium revocare, ac finito triennio ad aliud triennium, & non ultra confirmare (prout ante prædictas Pauli V. Prædecessoris literas die 17. Aprilis 1613. emanatas fieri consueverat) valeret, ita quod in ejusdem Nuncii absentia, ille qui a Nuncio deputatus foret usque ad successoris Nuncii adventum supplere possent, & deberet facultatem concessit; Visitatori autem, sicut præfertur, deputato, quæcumque Monialium prædictarum Monasteria in toto Regno supradicto erecta, & in futurum erigenda, eorumque Superiores, Abbatissas, seu Priorissas, & Moniales, ceterasque personas in eis degentes visitandi facultatem sub certis modo, & forma tunc expressis impertitus est.

Moniales sup- plicant unum visitatorem, pro omnibus Monasteriis, non sufficere.

memorato Nuncio unum, vel duos alios tantum eorumdem Monasteriorum Visitatores, prout necessarium fore judicavisset modo, & forma, ac cum facultatibus in prioribus suis literis expressis, & contentis arbitrio suo deputandi facultatem concessit, & alias prout in binis ipsius Urbani Prædecessoris literis, unis die 2. Aprilis 1632. & alteris die 29. Januarii 1633. respective in simili forma Brevis expeditis literis plenius continetur. Postmodum vero a Venerabili Fratre Cælio Archiepiscopo Casatareæ nostræ, & Apostolicæ Sedis in præfato Regno Nuncio Nobis relato, quod licet memorata Monasteria Monialium Carmelitanarum Excalceatarum secundum reformationem S. Theresiæ in Civitate Parisien., & in universo Galliæ Regno hujusmodi eatenus erecta, & in posterum erigenda visitationi, superioritati, ac omnimodæ jurisdictioni Visitatorum auctoritate hujus S. Sedis Apostolicæ ab ejus Nunciis pro tempore in eodem Regno existentibus deputatorum, & deputandorum, juxta formam præfatarum literarum, Clementis, & Pauli, ac Urbani Prædecessorum nostrorum occasione erectionis, & propagationis regiminis, & directionis Monasteriorum Ordinis hujusmodi in eodem Regno respective emanatarum subjacerent, & subjacere deberent; nihilominus dilecti filii Rectores, Superiores, & Administratores dictorum Monasteriorum jus ea visitandi, saltem cumulative cum Visitatoribus deputatis ad se spectare prætenderent, prout in quibusdam ex illis de facto visitare præsumperant; Nos de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui easdem literas Apostolicas, ac memorati Nuncii relationem hujusmodi, necnon literas dilectæ in Christo filiæ Priorissæ Monasterii Oppidi de Pontaise in favorem dictorum Rectorum ad Nos datas viderant, & diligenter examinaverant, ac totum negotium attente, & mature discussant, consilio, per Nostras die 20. Octobris 1659. in simili forma Brevis expeditas literas, motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, nullum jus, nec etiam cumulative prædictis Rectoribus, & Administratores, seu Superioribus competere visitandi hujusmodi Monasteria decrevimus, & declaravimus, atque ita deinceps omnino, etiam sub Ecclesiasticis censuris servari mandavimus. Præterea visitatorum memoratorum Monasteriorum Monialium nominationem deinceps ad eorumdem Monasteriorum Administratores non pertinere; Visitatores autem Monasteriorum hujusmodi incipiendo a tunc existentibus, qui erant dilectus filius Petrus de Berulle in Sacra Theologia Magister Monasterii de Pontelenoi, sive de Pontelenio Abbas Commendatarius die 25. Junii 1657., ac quondam Ludovicus de la Roche chonard. de Caudenier, dum vixit Abbas de Tornee

Rectoribus, & Superioribus, Monasteria visitandi nullum jus competere mandatum.